

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes  
aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula VI.

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

IX. Solum ostendendū, quomodo, si præsupponatur illa sententia, quam Durandus & Suarez defendunt, posse stare veritas nostræ Regulæ. Dicimus, duplex alicujus accidentis subjectum esse posse *ultimum* & *propinquum*. Illud est ita subjectum, ut ipsum non sit in alio subjecto. Huic autem nihil repugnat, alteri subjecto inesse. Unū accidens non est accidens alteri accidentis, tanquam subjecti ultimi: est enim omne accidens subjecto. Ergo nullum accidens est subjectū ultimum alterius. Præsupposuimus ergo, unum accidens esse in altero, tanquam in subjecto, dicendis id verum esse de subjecto propinquum, & non ultimum. At quando dicitur, *accidentis non esse accidens*, accipiendo est de subjecto ultimo.

## REGULA VI.

*In Deum non cadit accidens.*

I. Conradus Vorstius Tract. de Deo & attrib. div. p. 209 non vererit scribere in Deo esse aliud & aliud, videlicet subjectum & accidens. Et paulò post: Non sunt axiomata ista vulgo quidem recepta simpliciter & omnimodo vera: In Deum non cadere compositionem, nullum in Deo accidens est, &c.

I. Sed impia est ista sententia, ab eaque aliis Theologis abhorrent. Sciendum autem, sermone esse de accidente predicamentali, & reali per distincto ab eo, cuius est accidens. Quo præsupposito ita argumentor:

In

In quoconque est accidens, in eo est potentia  
passiva seu receptiva.

In Deo non est eiusmodi potentia.

E. in Deo non est accidens.

Major probatur, quia omne accidens inhæret  
& receptum est in eo, cuius est accidens. Sed  
nihil potest alteri inhærente, & in ipso recipi, nisi  
id habeat potentiam passivam seu receptivam, si-  
cute ex terminis constat. Minor autem proba-  
tur, quia potentia passiva importat imperfec-  
tionem. At Deus cum sit ens infinitè perfectum,  
nihil imperfectionis in se habere potest.

III. Dicis: De Deo prædicatur aliquid acci-  
dentaliter. E. in Deum cadit accidens. Antece-  
dens probatur, quia Deus dicitur creator, dicitur  
cognosci & coli à creaturis. At ista sunt prædi-  
cata pertinentia ad quintum prædicabile, quod  
est accidens.

IV. Resp. Paulò ante dictum est, axioma in-  
telligi de accidente prædicamentali. Certe Deo  
tribuere accidens prædicabile, quod de eo per de-  
nominationem extrinsecam dicitur, absurdum  
non est: quandoquidem hujusmodi accidens nul-  
lam importat imperfectionem, nullam efficit mu-  
tationem in eo, cuius accidens dicitur, nihil ipsi  
addit, nihil detrahit: sicut per hoc, quod paries  
videri dicitur, denominatio extrinseca est, & pa-  
ries non mutatur neq; quidquā perfectionis acqui-  
rit aut amittit. Jam cum Deus dicitur creator, aut

cognosci, vel' colii à creaturis, non importare aliquod accidentis, quod Deo inhæret; sed sunt istæ denominationes extrinsecæ à creatione, vel creaturæ, & à cognitione & cultu, quem ipsi creaturæ exhibent petitæ.

V. Sed instas?

*Sapientia est accidentis prædicamentale.*

*Sapientia est in Deo.*

*E. accidentis prædicamentale est in Deo.*

VI. Resp. Major vera est de sapientiâ creatum; at Sapientia, quæ in Deo est, & per quam Deus dicitur sapiens, non est alicuius creatura sapientia. Ethuc pertinet illud Theologorum: *Quæ in creaturis sunt accidentia, cum Deo attribuantur, transirent in substantiam.* Solutionem argumentorum Vorstii vide apud Albert. Grauerum d. sp. I. quest. illustr. q. IX. & Beccan. P. I. Theol. Schol. Cap. II. conclus. II. & Cap. XI. Qu. IV. & V.

### REGULA VII.

*Quod in uno est accidentis, in aliò non est substantia.*

I. Si substantia sumatur latè, pro cuiusque rei essentiâ, & accidentis pro prædicato, quod est extra essentiam, aut ut pertinet ad quintum prædicabile, sic quod in uno est accidentis, in alio substantia esse potest: quia quod uni competit ita, ut de essentiâ ejus non sit, sed prædicetur de eo, tanquam